

multa ab eo prudenter disputata, multa etiam breviter et commode dicta, memoriae mandabam: fierique studebam ejus prudentia doctior. Quo mortuo, me ad pontificem Scaevolam contuli: quem unum nostrae civitatis et ingenio et justitia praestantissimum audeo dicere. Sed de hoc alias: nunc redeo ad augurem. Cum saepe multa, tum memini, domi in hemicyclio sedentem, ut solebat, cum et ego essem una, et pauci admodum familiares, in eum sermonem illum incidere, qui tum fere omnibus erat in ore. Meministi enim profecto, Attice, et eo magis, quod P. Sulpicio utebare multum (cum is tribunus plebis capitali odio a Q. Pompejo, qui tum erat consul, dissideret, quocum conjunctissime et amantissime vixerat), quanta hominum esset vel admiratio, vel querela. Itaque tum Scaevola, cum in eam ipsam mentionem incidisset, exposuit nobis sermonem Laelii de *amicitia*, habitum ab illo secum, et cum altero genero C. Fannio, M. filio paucis diebus post mortem Africani. Ejus disputationis sententias memoriae mandavi: quas in hoc libro exposui meo arbitrato. Quasi enim ipsos induxi loquentes, ne inquam, et, inquit, saepius interponeretur: atque, ut tamquam a praesentibus coram haberi sermo videretur. Cum enim saepe mecum ageres, ut de *amicitia* scriberem aliquid, digna mihi res cum omnium cognitione, tum nostra familiaritate visa est. Itaque feci non invitatus, ut prodessem multis tuo rogatu. Sed ut in Catone majore, qui est scriptus ad te de senectute, Catonem induxi senem disputantem; quia nulla videbatur aptior persona, quae de illa aetate loqueretur, quam ejus, qui et diutissime senex fuisset, et in ipsa senectute prae ceteris florisset: sic, cum accepissemus a patribus, maxime memorabilem C. Laelii et P. Scipionis familiaritatem fuisse, idonea mihi Laelii persona visa est, quae de *amicitia* ea ipsa dissereret, quae disputata ab eo meminisset Scaevola. Genus autem hoc sermonum, positum in hominum veterum auctoritate, et eorum illustrium, plus, nescio quo acto, videtur habere gravitatis.